



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 193. Pilatus autem iterum respondens ait illis. v. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Christianæ quod proprium est Mosaicæ non affingat Saræ Dominæ, quod est ancillæ Agar: inique argumentatur, cum sic hæreticus argumentatur, & plerumque qui sic arguunt Ecclesiam Catholicam, ipsimet sunt apostatæ ab eadem Sacerdotes, seducti per passiones suas immoderatas & volunt suam inconstantiam affricare constanti Ecclesiæ.

§. 193. *Pilatus autem iterum respondens ait illis. v. 12.*

Quia Pilatus male sperauerat neminem fore tam audacem & impudentem è numero Iudæorum qui dimitti peteret latronem scilicet insignem, quo inter victos peior nemo erat, videns aliter euenisse consternatus aliud consilium capit è penu seu thesauro politico suo sed priore multo deterius & infelicius & qui antea populum secum æquauerat adhibendo in consultationem, de dimissione rei innoxij, ecce imprudentissime eundem nunc facit Iudicem. Petendo ab ipsis Iudæis, quid de Christo fieri vellent, sed dum petit, perdit & se, & Christum Dominum, se quia prodit inconstantiam suam, & timorem in administranda fortiter iustitia, dum homines offendere magis quam Deum & iustitiam timet. Hoc aduerterentes Iudæi audacter pro Iudicibus se gesserunt.

FAxit Deus ne & hodie eiusmodi Iudices timidi inueniantur, qui nesciunt virtute irrumperè iniquitates multorum, sed statim ad faciem vel potentis vel amici extimescunt facere iudicium & iustitiam & tales se & amicos & inimicos perdunt. Hunc timorem, Domine, obsecro auertas ab omni Iudice Christiano.

§. 194. *Quid igitur vultis faciam Regi Iudæorum. v. 12.*

Quanta timiditas! quantus pudor tanti Principis & Præsidis Iudæorum, ut non audeat dimittere innocentem quem ita plene nouit, ex inuidia sibi esse traditum & non aliam ob causam! sed insuper petat consilium à subditis & sibi eum tradentibus & falso accusantibus, & odio habentibus, quid facere debeat de eo, quem sibi tradiderant, Non scis, Pilate quod inuidia non quiescat, donec in eo, quem odit, plenam videat miseriam! Tu quidem captas aliquam benevolentiam tuorum subditorum, dum vocas Iesum regem Iudæorum quasi videaris non nihil ipsorum regno deferre; sed dico tibi sincere, quod illi passionibus Mei & Tui agitati nõ intelligant talem benevolentiam. O pusillanimitatem detestandam in Iudice! qui nullam inueniens in Christo causam, non tamen iuxta leges liberat eum, sed inimicos interrogat, quid agere debeat, cum eo quem oderint, quem falso accusarunt, quem sibi tradiderint morte plectendum.

○ Bone